

vellet auferre. Ergo. Conf. S. Augustinus gratuitam prædestinationem commendans L. de Corr. et Gr. c. 14. n. 43. vim maxime facit in isto principio: *Deo volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium*; ergo a sola voluntate Dei gratuita et ante prævisionem meritorum etiam gratiæ habetur prædestinatio ad gloriam.

Ad prob. 1^{am}. R. 1^o. In hoc textu declaratur tantum, quid electis a Deo fiat, non vero cur fiat; adeoque discretio non debet esse causa horum beneficiorum, sed potest esse effectus illorum, aut saltem concomitanter ad ea se habere. 2^o. Si discretio sumatur *adequate*, potest etiam dici causa, ita tamen ut singulæ partes discretionis singulis partibus effectuum respondeant; nempe quatenus discretio inchoativa seu prædestinatio ad gratiam sit causa gratiæ conferendæ, discretio completiva seu prædestinatio ad gloriam sit causa conferendæ gloriæ: cum quo nihilominus stat, quod prædestinatio ad gloriam non fiat, nisi prædestinatione ad gratiam et meritis ex illa securis absolute prævisis.

Ad prob. 2^{am}. R. N. m. Prima enim responsio admissa est a nobis supra, cum pertineat ad prædestinationem gratiæ vel baptismatis, vel vocationis, vel perseverantiæ, in quibus veneranda sunt judicia Dei, et altitudo sapientiæ ejus. Secunda etiam admittitur, sed quatenus ex perseverantia tanquam a priori colligitur prædestinatio ad gloriam; vel quatenus prædestinatio refertur tanquam causa proxima et immediata, ultra quam adhuc quæri aliam oporteat: cur nempe unus sit prædestinatus, alter non? et cui respondendum sit: quod prædestinatus sit propter merita, reprobatus propter demerita prævisa.

Ad prob. 3^{am}. R. 1^o. similiter hunc textum explicandum esse de causa immediata et proxima, sed ulterius adhuc ad peccati demeritum referenda.

R. 2^o. ex hoc loco duntaxat colligi quod prius a Deo decernatur interior gratia, a qua prædestinationis exordium sumit AUGUSTINUS, quam decernantur externa signa, seu prædicatio et alia ad externam vocationem pertinentia: unde et ex scopo totius libri patet, non posse hinc inferri gloriam efficaciter decretam ante prævisa merita.

Ad Conf. R. 1^o. Non agit hic de prædestinatione ad gloriam duntaxat, sed ad gratiam, ut liquet ex his immediate præcedentibus: *Cum autem homines per correptionem in viam salutis seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quotibet plantante et irrigante dat incrementum Deus: cui volenti salvum facere nullum hominis resistit imperium.*

R. 2^o. Quamvis Deo volenti salvare nullum resistere hic admittatur per modum principii, tamen id potest intelligi de Deo vel consequenter ad merita, vel antecedenter volente; si primo modo accipiatur, sensus est: postquam Deus decrevit ob prævisa merita salvare, nemo est qui resistat gratiæ efficaci: si secundo sensu sumatur, sensus est hic: Deo volenti efficaciter vocare resistit nemo; neuter vero sensus nobis obest.

236. Nec dicas 3^o. S. AUG. plurima discrimina facit, ex quibus gratuita ad gloriam prædestinatio aperte colligitur ab eo asserta:

1^{um}. Est, quod statuit inter angelos primumque Parentem, et inter filios Adami, ex L. de Corr. et Gr. c. 11. et 12. desumptum; quia apud priores

perseverantia active sumpta fuit *auxilium sine quo* non potest quis perseverare, et quocum posset non perseverare; perseverantia autem passive sumpta esset *merces meriti*: apud posteriores autem perseverantia in primo sensu sit *auxilium*, quo actu perseveratur, in secundo autem sensu sit *donum gratiæ*.

2^{um}. Est, quod eod. L. c. 7. n. 14. statuit inter electionem Judæ ad effundendum Christi sanguinem, et electionem prædestinatorum ad gloriam; primam enim ait factam *per judicium*, h. e. post prævisam ab eo perverſam voluntatem: secundam, *per misericordiam*, h. e. ante prævisa merita.

3^{um}. Est, quod L. de Gr. et lib. arbit. c. 9. n. 21. insinuat inter mortem æternam et vitam æternam; cum enim prima ab Apostolo dicatur *stipendium peccati*, notat secundam non appellari *stipendium justitiæ*, sed *gratiam Dei*; ut hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro miseratione perducere.

R. Ad 1^{um}. *Auxilium* perseverantiæ in statu innocentiae datum fuit sine speciali affectu et prædefinitione, uti nunc datur; *donum* autem perseverantiæ in priori statu dependebat ab aliquo opere sine conjunctione cum morte, ac eatenus fuerit merces meriti; in presenti autem utpote stans in conjunctione mortis cum statu gratiæ pendet a solo Dei arbitrio, et in tantum singulariter *gratiæ donum* est.

Ad 2^{um}. N. prob. Discrimen enim stat in eo proxime, quod Deus malitiam Judæ non fecerit, sed supposuerit, qua deinceps usus est in bonum; merita autem electorum per suam gratiam ipse faciat: unde isti per misericordiam, ille per judicium electus ab Aug. dicitur. Adeo vero hic non docetur electionem per misericordiam præcedere merita, ut potius ex paritate electionis utriusque facta contrarium jure optimo arguatur.

Ad 3^{um}. D. Notat vitam æternam non appellari nec appellari posse *stipendium justitiæ* N. simpliciter non appellari hic, quamvis alibi in Scripturis appelletur *subd.* et hoc apposite contra hæreticos, atque ad excludenda merita naturæ C. ad excludenda gratiæ merita N. Patet responsio tum ex ipso contextu integro, qui sic orditur: *Cum posset dicere Apostolus et recte dicere, stipendium justitiæ vita æterna, maluit dicere: Gratia Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus etc*; tum ex præcedentibus, ubi explicans Psalmistæ versum: *Qui coronat te in miseratione et misericordia*, ait, gloriam recte dici coronam, quia bonis operibus redditur; hanc vero coronam tribuit misericordiae, quia Dei miseratione bona operamur, quibus corona redditur.

237. Dico II. S. AUGUSTINUS non obscure favet prædestinationi ad gloriam ex meritis gratiæ.

Prob. I. Ex natura electionis ad gloriam, quam declarat tum absolute et secundum se, tum comparative et opposite ad prædestinationem ad gloriam. Nam. L. 4. ad Simplic. q. 2. n. 6. sic ait, in c. 9. ep. ad Rom. commentans: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad regnum celorum. Nam nisi esset electio, non essent electi; nec recte diceretur: Quis accusabit adversus electos Dei? Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem jus-*

ificatio; nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem; non video, quomodo sit dictum, nisi præscentia. Hic autem quod ait, Non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori; non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.

II. Ex qualitatibus et adjunctis quæ S. Doctor electioni ad gloriam attribuit. Nam L. 2. de Pecc. mer. c. 29. ait: Dominus noster hanc suam medelam (remissionem peccatorum) nullis generis humani temporibus,..... denegavit eis, quos per certissimam præscentiam et futuram beneficentiam secum regnatos in vitam prædestinavit æternam. Et serm. 7. (al. 100. c. 2. n. 3.) de Verb. Dom. dicit: Quos voluit Deus, hos elegit: elegit autem, sicut dicit Apostolus, et secundum illorum justitiam. Postea Deum de septem millibus tempore Eliæ loquentem sic inducit: Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, h. e. in me sperantes, non de se, nec de Baal. Et L. 1. de Civ. e. 8. n. 1. Placuit quippe divina providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruuntur injusti; et mala impiis, quibus non excruciantur boni.

III. Ex modo probandi et consequendi electionem. Nam 1^o. quidem ut S. Aug. probet prædestinationem et gratiam esse gratuitam, L. de Don. pers. c. 12. n. 28. docet eam gratis dari, inquit: Dando enim quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam et per hoc veram suam gratiam esse voluit; unde sequitur ex S. Doctoris principiis, quod cum gloria detur propter merita gratiæ, etiam prædestinatio ad gloriam sit ex meritis. 2^o. Autem docet ex meritis gratiæ ponendis dependere, ut quis sit prædestinatus, dum ad illa verba: Non est meum dare vobis; aliis paratum est a Patre meo. In Psal. 126. n. 5. sic commentatur: Quid est, non est meum dare vobis? non est meum dare superbis, hoc enim adhuc erant, sed si vultis accipere, nolite esse quod estis. Aliis paratum est, et vos alii estote, et vobis paratum est.

238. Nec dicas 1^o. Liber primus ad Simplicianum scriptus est ab AUGUSTINO adhuc junioriore, ante hæresin Pelagianam; et principium illud: Non est locus electioni unius præ alio in rebus omnino æqualibus, etiam a S. Doctore usurpatum est in expositione quarundam propositionum ex ep. ad Rom. c. 60., ex quo libro multa retractavit in L. 1. Retract. c. 23; ergo.

Ad 1^{um}. R. 1^o. Quod ipse S. Aug. L. 2. Retract. c. 1. testetur, libros ad Simplicianum a se scriptos, cum jam esset Episcopus: constat autem ex Possidio in ejus vita c. 31., eundem tum fuisse quadragenario vel proximum vel majorem. Præterea etsi juvenis fuisset, non tamen id auctoritati detraheret: cum alios libros omnes, quos junior scripsit, contemptui exponerentur.

R. 2^o. Quod S. Doctor L. 2. Retr. c. 1., ubi recenset libros ad Simplicianum, in L. 1. q. 2. plane nihil notet emendandum: quin in L. de prædest. Sanct. c. 4. n. 8. dicit solutionem ad illam questionem secundam esse datam secundum veritatem divinarum Scripturarum, eamque sibi a Deo revelatam; unde et Semipelagianos ad illum librum remittit. Quamvis vero hæc dicta eo maxime spectent, ut approbet suam doctrinam de Gratia in eo libro datam; non tamen apparet ratio, cur senior factus dicatur profecisse

plus in notitia prædestinationis ad gloriam, quam prædestinationis ad gratiam; cum tamen in senio ipsi potius de hac quam de illa prædestinatione cum hæreticis certandum fuerit.

Ad 2^{um}. R. Quod in L. Retr. cap. cit. non fiat in emendatione mentio illius principii, et quamvis tum hic, tum L. de prædest. Sanct. c. 3. plura corrigantur, quæ in illa expositione in ep. ad Rom. continentur; tamen Aug. deveniens ad libros ad Simplic. hos commendat.

239. Nec dicas 2^o. S. Aug. in Libris posterioribus aperte docet dari electionem, quæ non supponat inæquales, sed faciat, ut patet ex L. 5. contr. Julian. c. 3. n. 13. ubi ait: Nullum Deus elegit dignum, sed eligendo effecit dignum; Similia habentur L. de prædest. Sanct. c. 17. Unde imprimis patet retractatum esse illud principium: deinde distingui posse inter electionem antecedentem, quæ sit in ordine intentionis ac ab æterno, et inter consequentem, quæ sit in ordine executionis ac in tempore: demum de postrema seu temporali assumptione ad gloriam exponi posse locum ex AUGUSTINO allatum. Conf. In eod. S. AUGUSTINUS tribuit dilectioni Dei gratuita prædestinationem et ad gratiam et ad gloriam: quia, ut aperiat cur nulla sit apud Deum iniquitas, quando *cujus vult miseretur, et quem vult indurat*, ad communem massam perditionis recurrit, sicut in LL. contra Pelagianos scriptis.

R. D. Ass. Docet dari electionem ex natura sua gratuitam, seu habentem objectum quod aliter conferri non potest quam gratuito, qualis est prima gratia actualis, hanc, inquam, electionem docet non supponere, sed facere inæquales C. dari docet electionem habentem pro objecto aliquid, quod ex meritis confertur, uti est gloria æterna, quæ non supponat, sed faciat inæquales N.

Unde ad sequelas patet responsio. Nam 1^{um}. N.; quia hoc principium non fuit assertum de electione ad gratiam sed ad gloriam, adeoque nec est retractatum. Similiter N. 2^{um}., tum quia hæc divisio electionis non habet fundamentum in doctrina AUGUSTINI in asserto posita, tum quia electio proprie ac vi nominis sumitur pro decreto intentionis, non autem pro decreto executionis; cum et hoc decretum supponat electionem jam factam, hujusque exequendæ modum duntaxat decernat, et executionis ordo in rebus potius sit quam in voluntate et intellectu divino. Multo autem potius N. 3^{um}; quia sicut Aug. hic non loquitur de temporali collatione gratiæ, sed de destinatione illius gratuita ab æterno, vel sola vel saltem conjuncta cum priore; sic nec loquitur aut saltem non loquitur tantum de assumptione temporali ad gloriam, sed de prædestinatione ad gloriam æterna et secundum intentionem.

Ad Conf. R. N. Ass. Dilectionem inter et electionem hic S. Doctor distinguit. Dilectionem enim ait oriri ex sola benignitate, posse eam esse erga unum et non erga alterum, quamvis illi de se sint æquales; per eandem dari dona, ex quibus bona opera et merita nascantur: unde patet dilectionis nomine ab eo intelligi prædestinationem ad gratiam. Electionem autem negat priorem esse proposito aut haberi inter æquales; sed vult ante eam jam præsupponi opera: unde ejus nomine venire prædestinationem ad gloriam patet. Argumenta quibus probat non dari in Deo iniquitatem, non

contrariari nobis, patet tum ex resp. 1^o. hujus questionis, tum ex artic. priore.

240. Dico III. Etsi S. Aug. prædestinationi ex meritis prævisis foret reipsa contrarius, non ideo tamen sententiam priore articulo stabilitam deserere necessum foret.

Prob. I. In questione, quæ utrinque, salva ac illæsa fide, defendi potest, necesse non est amplecti sententiam S. Aug., præsertim si pro opposita parte etiam non desit auctoritas SS. Patrum; ut patet tum a priori, quia unius aut aliquorum etiam Patrum auctoritas non facit nisi argumentum probabile: tum a posteriori, quia hoc sibi semper licitum existimaverunt sapientissimi theologi; et quidem in præsentī materia PETAVIUS ac MALDONATUS, licet faterentur S. Aug. stetisse pro prædestinatione ad gloriam gratuita, eum tamen hac in parte relinquendum censuerunt. Sed quæstio præsens in alterutram partem defendi salva Religione potest: et pro prædestinatione ad gloriam ex prævisis meritis stat præter Scripturam et Rationem auctoritas Patrum; ergo.

II. S. Aug. in similibus quæstionibus nec aliis Patribus concedit, nec sibi tribuendam esse cupit auctoritatem irrefragabilem; ergo sine læsione debite illi reverentiæ ab ejus partibus secedere licet. Ant. liquet ex epist. 141. (al. 148). ad Fortunatianum c. 4. n. 45. Item, ex L. de Dõno persev. c. 21. n. 55. Recole etiam ab eodem dicta, de Trinit. L. 3. n. 2.

III. Cum Academia Lovaniensis die 7. Maii 1693. datis litteris ab Innoc. XII. hæc duo postulasset, 1^{um}. ut censuras Lovaniensem et Duacenam cum earum justificatione tueri, et in iisdem traditam de gratia et prædestinatione doctrinam Majorum suorum continuare S. Sedis auctoritate liceret: 2^{um}., ut ab eadem S. Sede declaretur, doctrinam de gratia per se efficaci et prædestinatione ante prævisa merita, nullis hactenus emanatis Apostolicis Decretis damnatam et enervatam esse; Pontifex his, in Brevi anno 1694. dato, recitatis responsonem hanc subjungit: *Qua in re vestram erga S. Petri Cathedram observantiam summopere laudamus. Verum quia, ut S. Cælestinus ad Episcopos Gallie rescripsit, profundiores difficilioresque partes incurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere; nec arbitramur opportunum, ut in præsens habeatur exactior illa de divinis auxiliis tractatio, quæ a prædecessoribus nostris Clemente VIII. et Paulo V. instituta: quia ad confutandam gratiam Dei, cujus operi et dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus; quidquid Apostolicæ Sedis scripta docuerunt. Juxta hoc effatum opiniones de efficacia gratiæ et modo prædestinationis relinquuntur amicæ Catholicorum controversiæ, nec eas, quodcumque senserit S. Aug., contemnere vult Ecclesia, nec adstruere necesse habet.*

241. Nec dicas 1^o. S. Aug. a SS. PP. HIER., PROSP. et FULG. non minus, quam a summis Pontificibus tum antiquis tum recentioribus maximopere laudatur: Ejus doctrina ab Innocentio integra ratione consistere, a Cælestino nunquam sinistra suspitionis rumore conspersa esse, a Joanne XXII. veritatem in lucem publicam protraxisse dicitur: Ejusdem opuscula custodienda

et recipienda decernantur a concilio Rom. sub Gelasio, omniaque, quæ S. Doctor de recta fide et condemnatione hæreticorum exposuit, suscipiuntur a concilio Gener. V. Collat. 3. Ergo. Conf. FULGENT. L. 1. ad Mon. c. 30. scribit ex Libris Aug., cunctos posse intelligere, quid debeant de prædestinatione Sanctorum impiorumque sentire. HORMISDAS P. in ep. ad Possessorem similiter dicit cognosci posse ex variis Libris B. Augustini maxime ad Prosperum et Hilarium, quid de libero arbitrio et gratia Dei Romana sequatur et asseveret Ecclesia. Demum quæ Innoc. et Zosimus contra Pelagianos, Cælestinus in ep. ad Gal. Episcopos, et Cone. Arausican. II. contra Semipelagianos definierunt, ex Scriptis et Libris Aug. excerpta sunt; ergo.

R. Nos neque laudibus in Aug. a SS. Patrum et Pontificum corona collatis vel minimum volumus detractum, quin et easdem, quantum in nobis est, cupimus accipi maxima cum emphasi et exaggeratione: neque sinistram illi suspicionem aliquam aut ejus doctrinæ aspergimus: neque opuscula illius minus custodienda, aut scripta ejus negligenda vel dicimus vel cogitamus. Observandum autem dicimus, approbationem Ecclesiæ per se conferre hæc quatuor duntaxat libris a se hac nota cohonestatis; 1^o. quod expresse concedatur licentia legendi hos libros: 2^o. quod judicet eos ad fidei morumque doctrinam esse utiles: 3^o. quod ab iis omnem voluntariæ hæresis suspicionem abstergat: 4^o. quod desumptum ex eo testimonium faciat probabile quoddam argumentum. Præterea vero notandum, non unum esse S. Aug., cui laudes illæ ac encomia tribuuntur, sed et alios Patres plures; quod maxime constat ex conciliis laudatis, ubi in eadem periodo ac simili orationis constructione nominantur Patres plerique tum Græci tum Latini.

Ad Conf. R. similiter. Ex allatis enim id duntaxat sequitur, quod fidei capita circa prædestinationem, gratiam ac liberum arbitrium, quæque Pelagianos ac Semipelagianos inter et Catholicos ex fide disceptabantur, a S. Aug. rite ac catholice fuerint asserta; imo quod is faciem sanæ doctrinæ tum Pontificibus tum Conciliis in hac materia prætulit.

242. Nec dicas 2^o. BENEDICTUS XIII. in Brevi Demissas preces, an. 1725 dato, declarat catholicam doctrinam Thomisticam, maxime de prædestinatione gratuita et gratia intrinsece efficaci, in condemnatione Baii, Jansenii et Quesnelli nec indirecte esse attackam; pronuntiat eandem esse sanam, imo saniores et incorruptam; contradicentes describit tanquam calumniatores; demique easdem sententias dicit ex SS. Aug. ac THOMA esse haustas, verbo Dei, Pontificum et Conciliorum Decretis ac Patrum dictis esse consonas, et hactenus laudabiliter a Thomistis esse doctas; ergo.

R. Hæc objectione non tangi eam, quam hic versamus, quæstionem; præterea vero pleraque etiam sunt alia, ac argumentum enuntiat. Nam 1^o. Pontifex universum tantum et absolute declarat: SS. Augustini et Thomæ inconcussa tutissimaque dogmata nullis prorsus Constitutionis (Unigenitus) censuris esse perstricta. 2^o. Huic Constitutioni refractarios, Jansenistas nempe et Quesnellistas, vocat calumniatores, qui dicant SS. AUGUSTINUM et THOMAM, nec non præfatas Thomistarum sententias per eam Bullam directe condemnatas; ad alios enim Thomistarum adversarios catholicos, sicut nec illud diciturium quasi ab illis profectum pertinet, sic nec impacta calumniæ nota

spectare potest. 3^o. Districte quidem sub canonicis pœnis inhibet, *ne quis in posterum eo nomine calumnias struere, ac dissensiones serere audeat*: Thomisticam tamen de prædestinatione ac gratia doctrinam tantis commendationis titulis non extollit. 4^o. Thomisticæ scholæ id solum tribuit, quod eas sententias laudabiliter docuerit, easque *ab ipsis SS. Doctoribus, Aug. et Thoma se hausisse, et verbo Dei, summorum Pontificum ac Conciliorum Decretis et Patrum dictis consonas esse, commendabili studio gloriatur*. Quibus verbis scholasticæ disputationi etiamnum permittit, an ejusmodi sententiæ revera haustæ sint ex SS. Doctoribus illis, aut num verbo Dei, summorum Pontificum Conciliorumque Decretis, et Patrum dictis reipsa consonent.

ARTICULUS IV.

QUINAM SINT EFFECTUS PRÆDESTINATIONIS?

243. *Dico I.* Efficax vocatio et justificatio electorum, eorumque glorificatio sunt effectus prædestinationis *adequate sumptæ*.

Prob. Ad Rom. 8. 30. APOST. ait: *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit*, Et FULG. L. 1. ad Mon. c. 11. *Omnia.... et vocationis nostræ initia, et justificationis augmenta, et glorificationis præmia in prædestinatione semper habuit Deus etc.*

Conf. Tum quia his tribus conveniunt omnes conditiones effectus prædestinationis: tum quia hæc tria constituunt perfectam et integram liberationem in sensu S. AUGUSTINI: cum per gratiam actualem et habitalem homo liberetur a servitute peccati, per gloriam autem ab omni miseria et corporis et animæ: tum quia ad hæc tria revocantur omnia dona supernaturalia, ad vocationem nempe auxilia gratiæ tam externa quam interna; ad justificationem habitus virtutum Theologarum ac supernaturalium, dona Spiritus S., gratiæ Sacramentales et perseverantia finalis; ad glorificationem principia ac dona gloriæ tum essentialis tum accidentalis, sive animam sive corpus respicientia.

Dixi 1^o. *Efficax vocatio et justificatio*; quia effectus prædestinationis non est ex 3^æ conditionis defectu, gratia illa quæ effectu caret omni: si tamen aliquem saltem effectum habet, v. g. dispositionis ad conversionem, vel si habuit quidem effectum, sed qui postea per peccatum fuerit deletus, simpliciter adhuc effectus prædestinationis appellatur; quia in primo casu vere ac per se, in secundo autem, quatenus reviviscens per subsequentem penitentiam, ad gloriam conducit. 2^o. *Vocatio et justificatio electorum*; quia reprobos, quibus cæ dantur, actu ad gloriam non perducunt. 3^o. *Sunt effectus prædestinationis adequate sumptæ*; si enim prædestinatio sumatur inadæquate et præcise ad gloriam, sola gloria est ejus effectus; si sumatur præcise ad gratiam, hujus effectus tantum est vocatio et justificatio, cum decretum dandæ gratiæ vel prædefinitio formaliter efficacem gloriæ intentionem nec habeat nec præsupponat, et gloria modo decernatur absolute post prævisa merita, uti superius etiam dictum est. Hæc tamen minime impediunt, quominus singuli sint effectus prædestinationis sibi singillatim correspondentis, et sic etiam omnes prædestinationis adæquatæ; quia ad postremam effectus prædestinationem salvandam, sufficit certo gloriam, secururam, quod etiam

ex scientia conditionata et decreto dandi gratiam absque efficaci gloriæ intentione cognosci haberique potest.

244. *Dico II.* Simili modo pleraque bona naturalia numerari possunt inter effectus prædestinationis.

Prob. Nativitas ex bonis parentibus, bona indoles et educatio, occasionum peccandi remotio, fraterna correctio, bona exempla, prædicatio Evangelii, vita longior vel mors præmatura, ubi est salutis occasio, commode reduci possunt ad dona gratiæ externa vel ad occasiones, quas Deus assumit ad providentiæ suæ finem suavius obtinendum; aliqui excipiunt nativitatem, et bonam indolem. Et quidem si nativitas sumatur velut pro ipsa rei substantia et hominis creatione, recte negatur esse prædestinationis effectus; cum ad eam præsupponatur, unde et S. AUG. ep. 105 (al. 194. c. 3. n. 8). ait: *Christus pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur*. Si tamen nativitas sumatur comparate ad accidentia seu circumstantias, v. g. ad tales parentes, tale tempus ac locum, talem indolem; neque hæc debet præsupponi ad prædestinationem, neque a Dei singulari dono ac meritis Christi excipitur, neque supernaturalitatem quoad finem et Dei ordinationem saltem excludit; sed potius confert aliquid ad gloriam consequendam, quatenus vel facilius vel connaturalius gratia effectum suum oblinet: quare et S. AUG. L. de Don. persev. c. 14. n. 35. ait: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant etc.*

245. *Dico III.* Mala quidem physica et moralia pœnæ effectus prædestinationis dici possunt, non item vero peccatum, nec peccati permissio.

Prob. 1^a. et 2^a. p. Hæc enim mala imprimis sunt a Deo, juxta Isa. 45. 7. *Ego Dominus creans malum*: deinde sunt ex meritis Christi; quia sunt Dei donum et signum specialis amoris divini, juxta illud ad Philip. 1. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*; et Prov. 3. 12. *Quem enim diligit Dominus, corripit*: demum conferunt ad gloriam, juxta illud Act. 14. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; et ad Rom. 8. 28. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*; hic vero de afflictionibus agi certum est.

Prob. 3^a. p. Peccatum enim nec est a Deo, nec per Christi merita, nec confert ad gloriam consequendam.

Prob. 4^a. p. Permissio peccati non est gratia, sed potius gratiæ negatio, adeoque nec est ex meritis Christi, neque confert ad salutem obtinendam, sed ab ea removet: non proficiscitur ex antecedenti intentione Dei perducendi hominem ad gloriam. Cæterum quod S. AUG. L. 14. de Civ. c. 13. n. 2. dicat, *superbis esse utile cadere in apertum aliquod et manifestum peccatum, unde sibi displiceant*; item quod dixerat non nemo: *Perieram, nisi periissem*; inde quidem colligi potest peccatum ejusque permissionem præbere occasionem, qua Deus utatur ad bonum inde eliciendum: minime vero, illa tanquam Dei dona dari ex meritis Christi, aut conferre quidpiam ad salutem.